

Quaestio medica utrum frigus magis an calor conducat / [Georg Leonhard Huth].

Contributors

Huth, Georg Leonhard, 1705-1761.

Publication/Creation

Altdorf : M.D. Meyer, 1728.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/aysq75yk>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

QVÆSTIO MEDICA
VTRVM CAPITI
FRIGVS MAGIS AN
CALOR CONDVCAT

QVAM
IVSSV ET AVCTORITATE
GRATIOSI
ORDINIS MEDICI
IN ALMA ALTORFINA

PRO LICENTIA
SVMMOS IN MEDICINA HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
LEGITIME CONSEQVENDI


PUBLICE A. D. AVGUSTI

cI*D* I*D* CCXXVIII

AGITABIT

GEORGIVS LEONHARTVS HVTH
NORIMBERGENSIS.

ALTORFII
LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERI.





DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
QVA QVÆRITVR:
**VTRVM CAPITI FRIGVS
 MAGIS AN CALOR
 CONDVCAT?**

PROOEMIVM.

IOn dubito, fore plerosque, qui, titulum hujus dissertationis intuiti, putent, calorem capiti longe magis prodesse quam frigus, meque illius prærogativam præ hoc esse omnino ostensurum. Præsertim cum ubique fere apud sollicitas matres consuetum sit, capita tenerorum infantum, tam copiosis redimire pannis, ut ne minimo quidem aëri ad illa pateat aditus; passimque videamus etiam ex adultis quosdam, qui nisi capite incedant accurate tecto, maximis se excruiciari ejusdem doloribus affirmant. Cum vero noverim etiam, qui a dolo

ribus molestissimis et diuturnis liberati sint, simulac
caput duobus tribusve quondam vestibus velatum,
frigori preferendo assuefecerunt; atque apud CEL-
SVM nostrum inveniam, quod aqua frigida multa
perfundere caput expeditat; idque variis in locis cum
commendasse video; omnino putavi e re fore, si hanc
in rem diligentiori inquirerem scrutinio. Dissertationem ergo inauguralem, ex decreto GRATIOSI
MEDICORVM ORDINIS, publico eruditorum examini propositurus; Problema hocce, utrum
capiti frigus an calor plus profit, eligere atque pro
viribus meis de eo differere, constitui. Adsit lector
benevolus, hisce primis meis conatibus favore suo,
eaque quæ fortassis parum exacte me scripsisse puta-
bit, æquis adspiciat oculis.

§. I.

CUm scripta medicorum veterum pervolvere,
ex iisque, sic ut quotidie a doctissimis viris
commendatum legimus, optima quæque,
ad curationem hodiernam facientia depro-
mere debeamus; putavi haud pœnitendam fore ope-
ram, si, num ævi antiquioris etiam medici, aliqua
de iis quæ capiti prosunt, in scriptis suis reliquissent,
inquirerem, atque indagarem. Sed pro eo ac ego
in lectione eorum versatus sum, vix alium invenio
qui plura hac de re annotaverit, quam Latinorum
medicorum principem A. CORN. CELSVM. Præ-
cipue vero eum aquæ frigidæ exterius capiti adhi-
bendæ

bendæ, patrocinium suscepisse, varia illius me docent loca omnino hic indicanda. Ante omnia vero huc spectat *caput* illius *IV. Lib. I.* quippe in quo non modo ab initio docet, eum cui *caput infirmum* est, nunquam id *veste velare debere*, sed *frigida totum perfundere aqua*; sed hæc quoque adjicit verba: *Capitè nihil æque prodest atque aqua frigida: Itaque is, cui hoc infirmum est, per aëstatem id bene largo canali quotidie debet aliquandiu subjecere. Semper autem, etiam si sine balneo unctus est, neque totum corpus refrigerari sustinet, caput tamen aqua frigida perfundere.* Capite vero sequente *V.* idem etiam iis commendat, quos assiduae lippitudines, gravedines, destillationes, tonsillæque male habent, dum dicit: *His autem non caput tantum quotidie perfundendum; sed os quoque multa frigida aqua fovendum est.* Capite vero *IX.* ejusdem libri, in eandem sententiam hisce scribit verbis: *Aqua vero frigidæ infusa, præterquam capitè, etiam stomacho prodest.* Libro quoque *IV. C. II.* legimus, in capitibz dolore, si calor illum excitarit, *expedit aqua frigida multa perfundere caput; spongiam concavam imponere, subinde aqua frigida expressam.* Et rursus: *si in destillatione crassa facta pituita est, vel in gravedine, nares magis pallent, balneo utendum est, multaque aqua prius calida, post egelida, fovendum os, caputque.* Quæ loca cum satis superque ostendant, Celsi tempore frigidæ maximum fuisse usum, operæ pretium omnino erit, ut unde nam methodus hæc, quæ capiti per frigida medetur, præcipue ortum suum traxerit, paululum dispiciamus.

§. II.

Si tempus in quod Celsi incidit vita consideramus,

mus, non solum ex plurimorum eruditorum; sed etiam accuratissimi celeberrimique rei literariæ scrutatoris D. D. I. A. FABRICII *in biblioth. Lat.* sententia intelligimus, eum sub Tiberio vixisse. Quod tempus, ut ipse etiam annotavit Celsus, id ipsum fuit, quo contrariis remediis morbos sanare medici consuerunt. Cum enim Tiberius sis sit, qui Cæsarem Augustum proxime in regno exceperat, Augustum autem Antonius Musa, qui secundum PLINIUM *Hist. nat. L. XXV. C. VIII.* cum fratre suo a balineis frigida multa corpora adstringi instituit, cum antea non fuerit mos nisi calida tantum lavari; frigidis curarit, ut a SVETONIO *in vita Aug. C. LXXXI.* relatum legimus; facile, credo, perspicere licebit, unde Celsi tempore tam multa beneficia, aquæ frigidæ fuerint adscripta. Nam postquam curatio Musæ in Imperatore ipso tam feliciter cesserat, Regis ad exemplum omnes fere curationes per frigidam in usum vocabant. Id vero HORATIVS maxime confirmat, dum in *Epist. XV. L. I.* sic de se ipso scribit:

nam mihi Bajus

*Musa supervacuas Antonius, et tamen illis
me facit invisum, gelida cum perluor unda
per medium frigus:*

deinde vero pergit atque ostendit quam ægre ferant incolæ vici Bajani, ubi calida erant balnea, sulphura fontium suorum contemni ab ægris:

*Qui caput & stomachum supponere fontibus audent
Clusinis, Gabiosque petunt, & frigida rura.*

Imo tam prorsus abest ut in sequutis temporibus balnea

nea frigida fuerint omissa , ut etiam Neronis tempore adhuc in usu fuerint, ut ex SENECAE epistolis videmus, duobus enim locis dicit , se strenuum fuisse psychro- litam, atque ipsis Calendis Januarii , in Euripum sal- cassa , inque virginem desiliisse.

§. III.

Dixi jam , nullum me novisse scriptorem medi- cum , qui ante Celsum aquæ frigidæ usum commen- daverit ; & si PLINIVM audimus , cuius sic sonant verba : *antea non erat mos nisi calida tantum lavari;* facile quis credere posset , nullum fuisse superioribus temporibus aquæ frigidæ honorem. Sed tamen pu- to me invenisse , quibus probare possim , etiam anti- quissimis temporibus , frigidam ad curandos morbos fuisse subinde adhibitam. Homerus certe com- memorat nobis , socium quendam Ulyssis , cui Leucus nomen erat , a quo denominatam esse petram Leuca- dem putant , cuius vires fuisse refertint , ut qui se hinc in mare præcipitarent , amore insano liberarentur ut ex Ptolemaeo Hephaestionis apud PHOTIVM refertur. PAVSANIAS quoque refert aliam veterum persuasio- nem , de aqua fluvii Selemni in Achaja , quani & vi- ris & feminis tradiderunt fuisse medicinam amoris , ita ut ejus oblii sint , qui ea lavati fuissent. Testi- monium quoque Celsi nostri , L. III. c. 9. exhibitum , idem quod nunc probatum eo , non parum confir- mat , curationem enim , qua contrariis medicamentis ægri sanantur , non novam esse persuasum habet & sic confirmat : *Siquidem apud antiquos quoque ante Hero- philum & Erasistratum , maximeque post Hippocratem , fuit Petron quidam , qui febricitantem hominem , ubi acceperat , multis*

multis vestimentis operiebat, ut simul calorem ingentem, sitimque excitaret. Deinde ubi paulum remitti cœperat febris, aquam frigidam potui dabat &c. Nec HIPPOCRATI frigidorum capiti adhibendorum usum omnino fuisse incognitum, variis ex locis in scriptis illius obviis, verosimiliter concludere possum. Nam ut alia taceam admodum notabilis est locus de morbis III. §. 1. ubi ad cerebri tumorem capitisque dolorem commendat caput radere, deinceps frigefactiorum aliquod, velut est solani succus & terra figuralis, in vesicam aut folliculum immittere capitique imponere, donec tepescat, quo viso auferre jubet & novum apponere.

§. IV.

Ostendi hucusque, quantum veteres aquæ tribuerint frigidæ; calidam vero eos multo pluris æstimasse, omnes, credo, facile mihi concedent. Præsertim, cum etiam is, qui fugitivo tantummodo oculo ea inspexerit, quæ de diæta veterum annotata legimus, non possit non nosse, sic apud illos invanisse usum balneorum calidorum, ut ne dies quidem præterierit, quo non ad ea confluxerint. Imo erant, qui per totum diem in iisdem versabantur; studiis itidem operam dabant, aliaque negotia curabant. Amplius hic esset campus apertus, inquirendi in rationes, cur tanti veteres fecerint aquam calidam, & annon præter voluptatem & oblationem ea potissimum spe ducti fuerint, fore ut calidum illud nativum & primigenium, quod pristina schola crebro inculcat, calore externo foveatur; sed missis his, cum mihi apud animum propositum sit, de aëtu frigidorum

dorum usu pluribus agere ; dispiciam nunc quid optima cum ratione de usu illorum capiti præsertim proficuo dici atque promitti possit.

§. V.

Ea est corporis nostri natura , ut multis rebus facili negotio assuetum fieri possit. Hinc etiam vix credo fore , qui contrarium affirmet , me dicente , certum esse illud in hanc adduci posse consuetudinem , ut æque frigoris ac caloris , non admodum excessivo gradu sœvientium , fiat patientissimum. Docent id præcipue diversarum regionum cives , si sub alio cœlo , quam quo nati sint , vivere cogantur. Sic a PLV-TARCHO *in vita Marii* memoratur , veteres Cimbros , qui cum Romanis bellum susceperant , adeo prorsus vim frigoris sustinere potuisse ; ut nivem nudis corporibus incidentem pertulerint , perque glaciem & altam nivem ad summitates montium facilime evaserint. Econtraario vero idem autor refert corpora Romanorum ita æstu fuisse durata ; ut eorum cum Cimbris post solstitium æstivum pugnantium , nullus , qui sudasset aut anhelasset , sit visus : Germani vero ab insueto calore atque sole prope unice vieti , sudore difluxerint , & anheli scuta faciebus objicere coaeti fuerint. Quis vero est , qui ignoret , Africam sic radiis solaribus esse expositam , ut Europæi terram hanc petentes , ne quidem calceati fervorem illius diu perferre possint , quam incolæ tamen nudis etiam calcant pedibus , immo , si quando requiescere ab itinere volunt , eidem natibus suis jucunde & absque molestia insident. Comprobant tandem

& variorum opificum quotidiana exempla sententiam meam , quos longo hic ordine recensere , quum lectori facile per se succursuri videantur , minime opus existimavi.

§. VI.

Porro observamus quotidie partes nostri corporis aliquas præ ceteris ferendo frigori ipsa adsuetudine idoneas reddi. Certe facies nostra , non crassioribus integumentis, quam ulla alia pars, sed forte multo subtilioribus obducta , quoniam semper nuda manet, frigoris , modo non excessivi, molestias vix sentit eodem tempore , quo reliquum corpus studiose tectum & vestitum , totum contremiscit. Tantumque abest , ut fæminæ , quantumvis delicatulæ & teneræ , hiemis aut æstatis noxas magnopere reformident , ut potius eas collo nudo , mammisque vix quidem aut leviter saltem tectis , borea & euro flantibus , incedere videamus : quum viris , utope non adsuetis , haud eadem sit frigoris his partibus allabentis tolerandi facilitas.

§. VII.

Hanc autem dispositionem partium nostrarum crebro exercitio ad habitum deduci posse , omnino persuasum habeo. Si vero negare non possumus , esse quasdam , quæ frigus atque calorem impune ferre possunt ; certe multo minus id negare poterimus de toto capite nostro , quippe cuius parti anteriori , ut jam dixi , liberum cum aëre frigidiori , & calidiori , quotidie est commercium , ejusque facilis tolerantia.

§. VIII. Non

§. VIII.

Non ergo abs re erit, si, quid corpori universo, tam a frigore quam calore externe illud ambiente, timendum aut sperandum sit, accuratius paulo consideremus. Id quod nobis viam pandet ad ea, quæ de capite seorsim statui poterunt, ansamque præbebit ad judicium ferendum utrum illud a frigore, an a calore, majora commoda exspectare debeat.

§. IX.

Caloris effectum primarium, esse expansionem humorum, compertum habemus. Ab hac autem, vasa magis expansa systalticam virtutem fortius exercent: sicque circulationem valde augent: seorsim vero humores propelluntur ad minima & in superficie posita, vasa, sicque transpirationem insensibilem corporis nostri augent: quæ, si præsertim calor sit humidus, eo usque increscit, ut non modo copiosæ & vehementes inde veniant sudationes; sed etiam hæ ipsæ virium omnimodam prostrationem, imo interdum etiam animi producant deliquia. Norunt hoc agricolæ, messores, fabri lignarii aliquique magno cum motu corporis, & ad æstum liberumque aërem laborantes opifices: hincque parum vestiti operas suas subeunt. Quod si enim vestibus operti illas tractarent, in liberum aërem evolatura humiditas, ab eis impedita atque irretita, fomenti humili in modum pores relaxaret & proliceret sudores, ut mox, viribus deficientibus, ad laborem continuandum essent parum idonei. Comprobat virium ab æstu prostrationem, etiam a SANCTORIO observata gravitas cor-

poris nostri, tempore æstatis ad tres circiter libras immunita. Animi autem deliquia æstum humidum nimiumque comitari, exempla hominum in balneis diutius morantium commonstrant. Et licet hoc non æque eveniat illis, qui sine motu siccum æstum perferre coguntur; tamen eorum humores calefieri, incendi atque exsiccati, labiorum rupturæ, partiumque soli magis expositarum pustulæ ostendunt. Facile ex his jam recensitis concludere poterimus, effectus caloris nimium sœvientis multo esse atrociores, hinc etiam nemo mirabitur, generari inde ea quæ BOERHAVIVS *in institut. §. 446.* observat, obstruktionem nempe, exsiccationem, inflammationem, coctionem impeditam, putrefactionem, alvum adstrictam, sitim, stranguriam, urinam rubram, humores flavos, morbos acutos, calidos, siccos, imprimitusque generis nervosi, lymphaticique, & actionum eorum summam læsionem.

§. X.

Frigoris vero naturam rimanti, sicut se primo effectus humores densandi, poros cutaneos constrin-gendi, & a superficie detinendi, indeque veniens caloris interioris, motu præsertim & agitatione corporis excitati, optima conservatio, sanguinisque spirituum & humorum minus copiosa exspiratio, ut & appetitus auctus. Dum enim pori constringuntur, major inde fit appulsus sanguinis atque humorum ad cutim tendentium, impediti vero per fibrarum a frigore densatarum resistentiam aliquatenus morantur, siveque particulas nutritias ad loca apta melius depo-nunt

nunt & ita augmento corporis inserviunt. Probat hoc BACO VERVLAMIVS *in hist. vite & mortis*, qui dicit in conservatoriis nivium observatum fuisse, quod aliquando malum, aut castanea, aut nux, aut simile quippiam, inciderit, quæ post plures menses liquefacta nive, aut etiam intra nivem ipsam, inventa sunt recentia & pulchra, ac si pridie essent decerpta. Et alio in loco affirmat, regionibus frigidioribus & hyperboreis, diutius homines vivere plerumque, quam calidioribus. Robur Germanorum nostrorum veterum frigoris assuetudini adscribi omnes norunt. Longe alia vero præstat frigus in magno excessu, omnino quiescente corpore aut non satis movendo, toleratum. Ut enim alia taceam mala, quæ fere frigori et æstui nimiis sunt communia, sphacelum, gangrenam, imo mortem subitaneam inde ortum suum ducere tristis nos docet experientia. Frigus humidum eosdem habet effectus in constipandis poris, cum frigore non nimium fero, sed efficaciores, et profundius penetrantes.

§. XI.

Sed consideratis hisce, progrederemur nunc ad caput, atque utrum frigori an calori ejus respectu assefieri melius sit, videbimus. Primo de calore agemus, eumque citius capitî nocere quam prodet se probatum ibimus. Caloris, ut jam indicavi, proprium est humores expandere: cumque cerebrum parte sua corticali totum sit vasculosum, et minimæ ac subtilissimæ arteriarum divisiones ac distributiones ibi fiunt: hæ vero arteriæ omnes tenuissimas tunicas ha-

beant, quibus valde expansis systalticæ vires facile minuuntur, nimium autem tensis omnino deprimentur: non magno sane labore intelligitur nos tali statu primo languidiores ad actiones animales reddi, mox somnolentiam vix vincibilem sentire, aliquando penitus obdormire, proque circumstantiarum diverso concursu lethargicos, apoplepticos aliosque affectus incurrere. Idque adeo inter omnes notum est, ut ullo teste medico in re tam manifesta minime opus esse videatur.

§. XII.

Auget modo dictam difficultatem venarum in sinus durae matris insertio singularis, quum non secundo, sed adverso flumine, devehendum suum sanguinem immittant, adeoque per se difficiliorem ingressum inveniant: cui si tardior subsequentis et antecedentem propressuri humoris successus accedat; haec tardioris progressus noxa ad ipsum cerebrum redundare debet respectu illius uenosi sanguinis, qui a cerebro per tenuem ad crassam meningem remittitur. Sed nec parum etiam sanguinis ad ipsam craniī interiorem & cavernosam substantiam a dura matre dimittitur, nec solum verosimile, verum etiam certum est, quod ad pericranium per plures vias arteriæ duræ matris abeant, indeque venæ ad eandem & sinus eius refluunt sanguinem vehant. Sunt illæ quidem arteriæ, per foramen cranii sextum ingressæ, tunica sua crassiori præeditæ, adeoque systolen vividam exercent: verum conditio viarum, per quas intrant et trajiciunt cranium, utpote cedere nescientium,

scientium, efficit ut valde ipsis molesta accidat quæcunque sive major dilatatio ab intrinseco expansorio humorum motu, sive exterius localiter affiente calore expansivo. Porro etiam venarum per similes vias trajicientium, ab expansione autem humorum nimis repletarum superoneratio, indeque ortus decubitus seu stagnatio, dolores capitis aliosque molestos & difficiles affectus parit, quibus observamus illos potissimum affligi, qui sua capita maxime calida servare aut student, aut consuetudine sic ferente solent. Nam si accidit, ut sanguis per arterias distentas profundius sese pericranio ipsique cranio insinuaverit: illæ autem vegeta systole, ipsa superoneratione, orbatæ sunt: venæ vero etiam valde suffarctæ per angusta & cedere nescia foramina sanguinem minus promte transmittunt; non potest non incommodi molestiarumque plurimum inde exoriri.

§. XIII.

Adsertionem meam in genere confirmat sexus sequior, qui pluribus molestis cephalalgiæ speciebus longe gravius divexatur, quam virilis solet: cuius rei causam procatarticam vix aliam invenio, quam quod sua capita, spisso capillorum tegmine naturaliter cooperta, rarius frigori densanda præbent: plerumque autem, præsertim sub deside et sedentaria, quam fortunatiores vivunt, vita in conclavibus calidis, dum exhalantes humiditates sub capillis et mitris detinentur, calore humido, decubitus fovente et invitante, subiecta et detenta gerunt. Longum esset ex observationibus hic referre, quæ de diris et multiplici-

tiplicibus hysteriarum molestiis consignata sunt: illud saltem, quod a fide dignis scriptoribus traditum est, ad rem nostram in primis facit, quod istiusmodi doloribus, quin prorsus illi speciei, ubi frigoris molestissimum in capite sensum percipiunt, externe adhibita calida adeo non prosint, ut potius malum subinde valde exasperent & intolerabile reddant.

§. XIV.

Sed & virilis sexus cum muliebri multos capitum effectus communes habet, qui partim sub catarrhal transitorio scheme incedunt, partim decubitus dolorificos & diuturnos, & molestas pituitae excretiones modo ad oculos & aures saepe ad colli & fau- cium glandulas, cum earum inflatione & obduratio ne, efficiunt, quibus longe plus patent, qui caput suum calide fovere solent, quam qui frigori perfe rendo sese ipsa adsuetudine præpararunt, sicque effecerunt ut non statim a quœvis ineuitabili aeris frigidis allapsu alterentur.

§. XV.

Frigus non excessivum si in contrarium, ejus que intueor effectus, maximos inde ut toti corpori, sic præcipue capiti, promitti posse fructus, omnino affirmare audeo. Nam quum humores potius cogat quam expandat, vasis id maxime præstat beneficium, ut systalticus eorum vigor persistat eaque incommoda, quæ a calore oriri indicavimus, præcaveantur. Toto id die observamus omnes, aëre temperate frigido corpora esse agiliora: animos autem ala-

alacriores , ut meditationibus & studiis optime tunc incumbamus. Nec enim est quod quis putet frigus nocere posse capiti. Cuticulam enim ejus nullam a frigore sentire noxam , nec cutim ab eo male affici , quotidiana nos docet experientia vel in delicatissimis , qui faciem suam ambienti nos aëri toto die praebent. Super haec crânum quoque tam firmum est cerebri nostri munitum , ut quo pæsto per illud penetrare possit frigus , vix sit quod quis sibi concipere possit. Jam vero si partibus internis , cerebro puto & nervis , a frigore nihil metuendum est , nec externæ partes , modo quis non mollissime educatus & consuetudine depravatus sit , nihil a frigore lædi possunt : elucet sane non absurde a C E L S O aquam frigidam , tamquam capitis optimam medicinam , fuisse propositam.

§. XVI.

Nec destituimur exemplis illorum , quibus magno suo bono cessit , quod caput frigori preferendo sensim adsuefecerunt , & eius conservandæ consuetudinis gratia quotidie large humectarunt. Nobilissimum juvenem inter commilitones conjunctissimos hic colui , qui quum primum huc venerat tantum non semper capitis molestis doloribus vexabatur , quantumuis illud , ut ab infantia & pueritia edocitus erat , sollicite tegere solebat , adeo ut noctu dormienti una mitra non sufficeret , quin saepe duas tresve adhiberet. Huic nihil æque profuit , quam quod pravam consuetudinem sensim & per gradus emendavit , eoque rem deduxit , ut prorsus nudo capite deinceps domi incederet , sicque pristinarum molestiarum immunis reddebatur.

C

§. XVII. A

§. XVII.

A fide dignis accepimus de magno quodam & potentissimo Principe, quod non solum tota vita sua capillamentum non admiserit, verum etiam ubi totos dies ad calidissimum solem versatus caput sibi dolere percipit, illico afferendum vas aqua frigida plenum jubeat, cui caput totum immergit. Atque hoc pacto facile vincit molestum dolorem gloriosissimis avo ac parenti suo saepe adeo infensum, ut medicis ipsorum non parum curarum & laborum faceſſiverit. De FRANC. MERCVRIO ab HELMONT relatum legimus, quod consuetudine id assequutus fuerit, ut non solum caput nudum, idque capillis parce teſtum, jucunde tulerit, nec umquam facile pileo texerit, nisi id ob decori rationes, quoties in publico versabatur, facere cogeretur: verum etiam jam valde senex & calvaster, quoties se a lepto levarat, ad fontem acceſſerit, & aquæ ex canali large profluenti caput subjeceſſerit. Neque hoc æſtate tantum, sed rigidissima etiam hyeme fecit. Fruſtum hujus instituti sui hunc tulit, quod a subitis tempestatum mutationibus aliis frequentes affectus, gravedinem, coryzam, tuſſim, minime infenos habuit. Accepimus etiam de duobus theologis Norimbergensibus, satis firma valetudine ad ſenium deductis, quod alter caput profluenti canali aquæ frigidæ ſæpe ſubjecerit, alter frigida faciem lavans partes post aurem ſitas ſtudioſe humectaverit: uterque immunitatem a catarrhalibus moleſtiis hinc conſequutus ſit.

§. XVIII.

Vix dubito fore, ut benevolo lectori aliqua ejusmodi exempla sint occursura, quare a colligendis aut referendis pluribus libenter me abstineo, et me accingo potius aliquibus objectionibus, quas prævide-re licet, diluendis et occupandis. Et erunt forte, quibus mirum videbitur, quod frigori præ calore in capitis valetudine tuenda prærogativam tribuerim, quum videatur naturæ convenientissimum, si corpus omne, aut caput saltem, ita duratum sit ut caloris ac frigoris æque sit patiens. Talia oportet fuisse Græcorum antiquorum capita, apud quos liberorum hominum prærogativa fuit, ut capite nudo incederent: et Ægyptiorum, de quibus notum est quād duras calvarias sibi acquisiverint nudo capite incedentes; ut Persarum, quorum capita tiaris continuo testa erant, calvariæ longe magis fragiles deprehenderentur: id quod ex HERODOTO et DIOD. SICULO est notissimum. Jam si cogitemus quantis, præ nostra patria, caloribus Græcia æstuet, quantoque majoribus Ægyptus exuratur interdiu; quantumque rursus præ nostra patria in illis regionibus noctes æstate longiores & frigidiores sint: facile intelligitur quoties usu venire apud illos debuerit, ut iidem homines caput interdiu valde percalefactum, vesperi autem noctuque refrigeratum habuerint. Et cui nostrum non admirandi videntur Græci, qui Olympica certamina, canicularibus diebus peragenda, totis diebus sub dio spestabant & caput nullo tegmine a solis ardore defendebant.

§. XIX.

Enimvero jam supra monui tale nobis corpus a conditore nostro datum esse , quod a teneris adsue scendo caloris & frigoris patientissimum reddi possit : jamque profiteor esse pro valetudine utrumque tentare. At vero quoniam nostri sæculi mores hanc curam fere excludunt , & plurimi persuasum habent capiti nulla re melius consuli , quam si inde a tener rimis unguiculis probe tegatur ; quo fit ut nec solis ardori nec frigori adsuescat : dissuadendum hunc errorem , & contra nitendum , ut ne frigoris prætextu mollities capiti contrahatur & confirmetur , existimavi. Eo autem magis eximiendum hunc metum esse puto , quo magis manifestum est fieri vix posse ut homines ab infantia capiti probe tegendo sollicite addicti , ubi matrum solerter curam excesserunt , in vita quotidiana effugere possint occasions , quibus se debeant frigori exponere , & capite nudo incedere.

§. XX.

Sunt quidem qui in capillamentis , nostro ævo tam frequentibus , refugium quærunt : sed præter id , quod servituti perpetuæ , absque fontica ratione , addicere nos nostrosque merito supersedemus : incidere sane tempora possunt ut nec illo uti liceat praesidio. Novimus quanta severitate apud clericos sibi subiectos Romanus pontifex capillamenta supprimat : & vidimus nostra ætate magnum Regem , cui in militibus suis illa omnino displicant ; quo ipso plures etiam militiæ non addictos in illo regno capilla menta

menta deposuisse certum est: quod non omnibus in jam adulta ætate æque facile successisse cogitando facile adsequimur. Et si omnino capillamentis capiti calorem conservare statuimus: peccari tamen hic quoque, præsertim calida tempestate, videmus, qua plures, abjecto adscititio capillo, mitris caput satis saepe leviter tegunt, & cervicem nudam, saepe quoque aures, aëri libero exponunt, quod non omnes impune ferre quotidianis exemplis est satis confirmatum.

§. XXI.

Per placet igitur consilium acutissimi philosophi JOANNIS LOCKII in utilissimo tractatu *de puerorum educatione*, ex quo ad nostram rem in primis facientia hæc adponam: *inter alia etiam hoc probe observandum commendabo*, ut puerulo, postquam annum aut biennium absolvit, jamque caput satis capillatio tectum est, permittatur absque mitra per totum diem discurrere: omninoque consultum etiam esse, ut noctu sine mitra cubet: quoniam certum est cephalalgias, catarrhales affectus, tussim & alios complures morbos, nulla re certius induci & foveri, quam illo, calorem capiti conciliandi atque conservandi studio.

§. XXII.

Instabunt forte aliqui nondum elucere prærogativam frigoris præ calore, si quis alterutri ferendo sit adsuetus: sed lædere id tantum quod huic adsueti ad insuetum deducamus. Lædi frigoribus feredis idoneum a calore: caloribus adsuetum a frigore: utrisque saepius expositum ad utrumque bene fese habere, saltem non magno malo inde multari. At

vero si cogitaverimus, quod modo professi sumus, nos potissimum loqui de calore illo, quem capiti per omnis generis velamenta, mitras, vittasque conciliamus, & continuo fovere studemus; & ex superioribus repetamus, quod ejusmodi calor inclusus, humiditates ex poris prolectas detinendo, fomenti instar humili, poros valde relaxet, transpirationemque ultra gradum naturalem, usque ad sudoris proveni-
tum, intendat & augeat: facile adsequemur laudari non posse excretionem istiusmodi, artificio non natu-
ra institutam & ad habitum deductam: unde fit ut continuus humorum decubitus ibidem foveatur, & non solum circulo humorum æquabili aliquid dece-
dat, verum etiam humoribus continuo multum detrahat, id vero, quod in parte restat, crassius dete-
riusque reddatur. Plane autem existimo sudorem in nobis naturaliter & sanissime constitutis rarissime evenire: nec a naturæ instituto illum primario intendi: illos autem sanissime vivere, quorum cor-
pora a prima ætate sic comparantur, ut quam mini-
me exsudent.

§. XIII.

Ista etiam continua & habitualis consuetudo mul-
tum exsudandi, saltem ultra naturalem gradum co-
piosius exhalingi, quam primum ex necessitate aut
casu aliquo admisso frigore turbatur, & adiutius for-
tiusque accedente, præsertim humido, sufflaminatur,
primo omnium emicant illa signa læsæ & affli-
ctæ istiusmodi hominum valetudinis, quæ exhalatu-
rum, sed in poris detentarum humiditatum co-
piam,

piam, tendendo & gravativum dolorem excitando, acrimoniam autem pravamque qualitatem, lancinando & vellicando produnt. Id vero in iis, qui se frigoribus saepe exposuerunt, nec calores istiusmodi capitibus suis conciliare student, haud aequa evenit, si forte aliquando caput calori exponere contingat. Nam ut oppido rari sunt illi casus, quibus necessitas nos cogat caput velare, & ad sudorem usque contegere: si tamen emergant, minime videtur talis in capite copiosius, quam reliquo corpore, sudore diffluxurus, adeoque noxam, quaecunque evenire hinc potuerit, in solo capite luiturus esse.

§. XXIV.

Vix mihi verendum videtur ut aliquis, qui a me haec tenus dicta attenderit, non intellexerit, quantum in hoc negotio consuetudini tribuam. Confuescimus autem saepe tentando, atque iterum iterumque exercendo: & postquam levissimi conatus bene succederunt, sensim ad majora progrediendo. A teneris autem, ut proverbio dicimus, adsuescere multum est. Sed periculo non vacare subitas mutationes & ad contraria transitus, fere supervacuum fuerit admonere. Visum tamen fuit non omittere illam dubitationem, quum hoc sanitatis conservandæ preceptum, de quo haec tenus disceptavimus, a CELSO potissimum, & a Romanis exercitum fuerit. Quemadmodum vero Græci liberi capite nudo incedebant, sic Romani pileati, quotquot ingenui erant, prodibant: adeoque capita non perinde, ut Græcorum erant, durata habebant. Quumque supra innuerimus ante

ante Celsi tempora cœptum fuisse apud Romanos contrariis medicinis maxime delectari; idque in morbis urgentibus, curativa intentione: ubi vix intelligitur tantæ moræ, qua ad consuetudinem inducendam opus est, locum relinquere potuisse: non immерito quæritur an Celsi consilium, ex mente ipsius, trahi ad curationem illis casibus & temporibus, ubi subito auxilio opus est, possit & debeat? &, si ita omnino ipse statuit, an satis tunc sit illum sequi?

§. XV.

Et quidem CELSVS illo loco, quo præcipue aquæ frigidæ usum capiti commendat, loquitur aperte de malo leviori, quod sine febre est, nihilque adeo acutum secum fert: id quod clarius perspiciemus, ubi contulerimus *Lib. IV. cap. 2.* Verum tamen ipso hoc ultimo loco declarat, *id malum, quod acutum est, & id, quod supra consuetudinem intenditur, idque, quod ex subita causa, et si non pestiferum, tamen vehementer est - si calor adsit requirere, nihil proficientibus aliis, ut aqua frigida multa perfundatur caput, sponsa concava imponatur, subinde aqua frigida expressa, refrigerantia cataplasmata adhibeantur.* Si apud eundem exempla requiramus, ad phrenitidem quidem *Lib. III. c. 18.* refrigerantia, ut succos herbarum, commendat, sine dubio frigide adhibendos, et si id non diserte adjecit: sed in lethargi curatione, quam *Lib. III. c. 20.* proponit, ita scribit: *Excitat autem validissime repente aqua frigida superinfusa, itaque -- corpus tribus aut quatuor amphoris totum per caput perfundendum est.* **HIPPOCRATES** noster, aut quisquis autor est libri

Epidem.

Epidem. V. p. 782. ed. Lind. adhuc magis profusus fuit in aquæ quantitate, quippe qui in casu desperato, mulieri iam mortuæ visæ, ob uteri strangulatum, vomitum cruentum aliaque terribilia symptomata, superfusas aquæ frigidæ amphoras circiter triginta luculenter profuisse commemorat: quem locum illis ex Hippocrate superius §. III. adductis addidissemus, si capit is cauſa adhibitam esse aquam eluceret. Post Celsum etiam ARETAEV.S de curat. acut. I cap. 1. ubi phreniticorum curationem docet, caput refrigerantibus et aëtu frigidis irrigare jubet, usque adeo ut æstivo tempore eadem multo magis refrigerata requirat.

§. XXVI.

Caret igitur dubio Celsum nostrum, & alios veteres, frigida ad curationem subinde adhibuisse, in casibus ancipiti periculo stipatis, acutissimis, ubi non poterat certo sciri quam sit ægrotus frigidis ferendis aptus & adsuetus, multo minus per gradus adsuefcendi tempus erat. Quare nunc dispiciendum nobis erit, an satis tutum sit illud exemplum sequi. E quidem possem, si tempus permitteret, non paucis testimoniis comprobare, quod nostro ævo propioribus medicis haud insolens fuerit easdem curandi vias calcare: & aliquos non ignobiles viros, qui forte de veterum praxi non cogitarent, exemplis casu oblatis ad similes cogitationes ductos esse. Sic AMBROSIUS PARAEV.S, ubi historiam retulerat de phrenitico, qui se ex alto præcipitem in præterfluentem amnem dederat & convaluerat; suadet casum

in consilium artemque vertere , & ægrotos huiusmodi in aquam frigidam inopinato deuoluere , ibique aliquantis per detinere . Quin aliqui positie frigida & refrigerantia impense laudant , optatique successus exempla adducunt . Tale legitur apud BORELLVM *Observ. Cent. IV. 94.* quod rusticus phreneticum curaverit cucurbitæ taleolis , quas frigidas capiti toti imponebat & subinde renovabat : & apud WALTHERVM *in sylva medica* FABR. BARTOLETVS ita scribit : *Observeo in fervidissima phrenitide licere uti cucurbitarum carne tusa & nive refrigerata capiti abraso apposita : qua præter spem phreniticus fuit restitutus :* Idemque auctor citat CASP. CALDER. DE HEREDIA , qui itidem in ultima desperatione cucurbitam super ipsas suturas jubet imponere .

§. XXVII.

Enimvero plerique nostri ævi medici hoc genus curationis vel negligunt , vel aperte reprobant , & topica , quæcunque adhibentur , si non calida , tepida tamen , adhibere jubent , veriti ne ex phrenitide in lethargum ægri conjiciantur . Et fuerunt forte visa ejusmodi exempla , quibus territi medici ab hoc ancipiti remedio abstinentem sibi existimaverunt : etsi non satis clarum tali statu esse solet , utrum ægrotus vi morbi vietus , an remedio læsus fuerit . Recte & notanter CELSVS , ubi de ipso morbo toties memorato scribit , in hunc modum fatur : *Multa in præcipiti periculo recte fiunt , alias omittenda.* Mihi in hac re modestia obstat , quo minus judicium ferre audeam , inque eo exercitatiōribus libenter ausculto .

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Poteram hic filum abrumpere, nisi unicum memoriæ incideret, quod tantum non omnes medici & chirurgi inculcant, capitis vulneribus frigus omne esse inimicissimum, præcipue autem illis, quæ ad interiora penetrant. De hoc itaque casu nihil a me ante dictorum accipi aut intelligi me velle, paucis monuisse sufficiat. Quod supereft, rogo benevolum lectorum, velit se primis conatibus meis æquum præbere, &, quae ad propositam quæstionem disserui, in optimam partem interpretari.

S. D. G.



NOBI-

NOBILISSIMO DOM. CANDIDATO

S. P. D.

IO. HENRICVS SCHVLZE D.
MED. P.P. ET H. T. DECANVS.

Constitueram equidem dissertationi **TVAE**, studiose et eleganter elaboratae, cum primum eam perlegisset, adnotare aliqua, quibus illud nobile, quod tractat, argumentum illustrari vel amplificari posset. Enimvero, quod optime nosti, me aliquot dierum iter, et vix reduci ex peculiari Illustrium Dominorum Nutritorum nostrorum gratia oblatum cadaver femininum, in theatro nostro anatomico dissecandum, ita a proposito meo detinuerunt, ut nec **TVO** desiderio nec meæ voluntati satis liceret facere. Quare omissis illis nihil ad **TE** nunc scribo, quam quod ad piam gratulationem de felici academicorum studiorum, apud nos per quatuor annos cum laude tractatorum, fine pertinet. Faxit illud summum **NVMEN**, quo dirigente adhuc prospere omnia gessisti, ut **TIBI** honores, quos meritissimus conqueris, & itinera, quæ propediem ingressurus es, & quicquid in artis salutaris exercitio ad agrotorum salutem molieris, omnia feliciter & auspicio cedant. Ego quidem numquam desinam virtutes & doctrinam **TVAM**, assidue studio comparatam, admirari, faustoque rerum **TVARVM** successui applaudere. Vale. Altoris Norimbergensium a. d. XXII. Augusti CICCCXXVIII.

